





G. 37. num. 36.

3A

DE  
PACTO REMISSORIO  
DISPUTATIO

1773 8

QVAM

PRAESIDE

D. GEORGIO STEPHANO  
WIESANDIO

1773

PROFESSORE INSTITVTIONVM ORDINARIO  
CVRIAE PROVINCIALIS SCABINATVS ATQVE  
COLLEGII IVRECONSULTORVM ASSESSORE  
ORDINARIO

PRO GRADV DOCTORIS

RITE CAPESSENDO

D. XXVI. OCTOBR. A. R. S. CIOCLXXIII

H. L. Q. C.

EXAMINI PVBLICO PROPONIT

AVCTOR

IOAN. CHRISTOPH. LAVTERVS

IVRIS VTRIVSQUE CANDIDATVS ET ADVOCATVS

WITTENBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII ACAD. A TYPIS.



23. 11. 1786

PACTO REMISSORIO

D. GEORGIO STEPHANO

WILHELMO

PROGREDI DOCTO

EXAMINI

CHRISTOPHERO

ADVOCATO

ET

...

...


...

...

...


...

...





§. I.

 Ad civium in republica versantium salutem atque felicitatem augendam et stabiliendam, fide convenientius est nihil, qua bonum diligentius conservandum vel retinendum haud exstat, nec vllum est vinculum ad genus humanum copulandum sanctius. Fidei vero conservandae, quae fons est ac fundamentum omnis iuris <sup>a)</sup>, tenacissimos praecipue fuisse Romanos ac Germanos, nemo historiae tam inscius est, vt nesciat. Laudi enim olim ducebatur Germaniae incolis, omnes gentes armis

a) CICER. *de offc.* lib. I. cap. 7. SENECA *Epist.* 88. *fidem, sanctissimum humani pectoris bonum* vocat, et QUINTIL. *Declam.* 343. *supremum rerum humanarum vinculum.*



mis ac fide superare <sup>b)</sup>), eamque in pactis maxime sanctam esse iubebant, atque eos, qui quid contra fidem admiserant, infamia notabant. Populus Romanus, teste Gellio <sup>c)</sup>), omnibus quidem virtutum generibus exercendis colendisque e parua origine ad tantae amplitudinis instar emicuit, sed omnium maxime atque praecipue fidem coluit sanctamque habuit, et priuatim, et publice, quam non modo in officiorum vicibus, sed in negotiorum quoque contractibus sanxerunt, maximeque in pecuniae mutuo datae vsu atque commercio, eamque semper vt certissimum salutis humanae pignus Romae vguisse, testatur Valerius Maximus <sup>d)</sup>), quin immo eam pro Dea coluere, cui quidem, auctore Romanorum oratorum principe <sup>e)</sup>), templum in Capitolio vicinum Iouis Optimi Maximi esse voluere, quod iam a Numa Pompilio esse exstructum contendit Dionysius Halicarnassensis <sup>f)</sup>).

## §. II.

- b) TACIT. *Annal.* lib. XIII. cap. 54.  
 c) lib. XX. cap. I.  
 d) Lib. VI. cap. 6.  
 e) *de offic.* lib. 3. cap. 29. n. 104. et *de Natur. Deor.* lib. II. cap. 23. not. 61.  
 f) Lib. II. p. 134. *Ed. Sylburgii* Lips. 1691. *πρώτος ἀνθρώπων ἱερὸν ἰδούσετο νέεως ἀμύσσιες.* et *IIv.* lib. I. cap. 21. vbi haec tradit: *Fidei solenne instituit, ad id sacrarium flamines bigis, curru arcuato vehi iussit, manuque ad digitos vsque involuta, rem diuinam facere, significantes fidem tutandam, sedemque eius etiam in dextris sacram esse.*



## §. II.

Licet itaque nihil turpius et detestabilius sit, quam fidem, quae vitam continet ac rempublicam, impie fallere \*) eamque laedens commune omnium oppugnet praesidium, atque ipsius vitae disturbet societatem †), immo proprium hominis euertat munus, vti Arrianus ait †), ἐπιὸ ἀνθρώπου πρὸς πᾶσι γέγονε, καὶ τὸτο ὁ ἀναγέγων, ἀναγέπει τὸ βίον τῶ ἀνθρώπου, nihil secius tamen frangi eam in pactis, contractibus aliisque negotiis ac violari, quotidiano vitae vsu satis cognitum habemus atque compertum. Quamobrem prudenter non tantum Romani ac Germani, verum aliae quoque gentes ab antiquissimis inde temporibus in debitores, qui luxuriosius viuendo, aliorum opes molesto labore saepenumero partas, blanditiis auferunt, ac temere consumunt, fidemque sancte datam maxime violant, quae nulla esse potest, nisi solutio rerum creditorum, ita, vti pactum est, consequatur, feuerissimas, quo eorum reprimeretur malitia, sanxere leges.

A 2

## §. III.

g) L. I. D. de consit. pecun.

h) CICERO, in Orat. pro Rosc. Amer. cap. 38. LIV. VI. 41. vbi Appius Claudius ita perorat: fide abrogata, omnis humana societas tollitur. Et ARISTOTEL. Rhet. ad Theod. l. c. 15. ἀνέστηται ἡ πρὸς ἀλλήλους χρεία τῶν ἀνθρώπων.

i) in Dissert. EPICETI lib. II. cap. 4. statim ab initio.



## §. III.

In Hebraeorum republica creditoribus debitores obac-  
ratos ad seruitia et operas praestandas, donec pro debitis  
satisfecissent, adiudicatos fuisse, sacra docent oracula <sup>k)</sup>.  
Idem de Graecis <sup>l)</sup>, Hispanis <sup>m)</sup> et Saxonibus <sup>n)</sup> relatum le-  
gimus.

<sup>k)</sup> Genes. cap. 47. comm. 23. seq. *Leuit.* 25. c. 39. seq. *Lib. Reg.*  
II. cap. 4. c. 1. *Proverb.* 22. c. 7. *Matth.* 5. c. 25. 26. et cap. 18. c. 25.

<sup>l)</sup> His erat solenne, ut cui nec pignora nec fideiussores erant, is semet-  
ipsum traderet creditori, id quod ἐπὶ τοῖς σώμασι δαπέζεσθαι di-  
cebatur. *PLUTARCHVS* in Solonis vita p. 85. Edit. Francf. de ann.  
1620. *Χεῖρα λαμβάνοντες ἐπὶ τοῖς σώμασιν ἀγρόγμοι τοῖς δαπέ-  
ζουσιν ἦσαν.*

<sup>m)</sup> ANTONIVS TRESAVRVS *Decif.* 503. num. 2. ut refert ex Lu-  
douico Patricio Romano in *Itiner. rer. Indic.* lib. I, cap. 9.

<sup>n)</sup> *SPEC. SAX.* lib. III. art. 39. *Wer da Schuld fordert vor Gerichte auf  
einen Mann, der nicht gelden mag noch Bürgen setzen, der Richter  
soll ihm den Mann antworten, für das Geld, den soll er halten, gleich  
seinem Gefinde mit Speise und mit Arbeit. Will er ihn denn spannen  
mit einer Halden, oder mit einem Fessel, das mag er thun, anders  
soll er ihn aber nicht peinigen.* *WEICHBILD.* art. 27. Hanc iuris  
Saxonici dispositionem, qua cautum est, ut debitor, qui solvendo  
non est, ad manus creditoris tradatur, an die Hand und Halfter  
gegeben werde, ut eius seruitiis tamdiu utatur, donec operis suis  
vel alia ratione integrum extinxerit debitum, ex iure antiquo Ger-  
manico derivandum esse, censet Gaertner ad *Capitulationem Caro-  
li M. de Partibus Saxoniae* p. 142. scilicet *EX LEGE BAIVVA-  
RIORVM* Tit. I. cap. XI. qua statutum: *Si quis Episcopum occide-  
rit etc. Et si non tantam pecuniam habet, se ipsum et uxorem et filios  
tradat*





gimus. Ab Aegyptiis cautum est, ut ultra res et bona debitoris, nulla in corpus animaduersio foret. Nam pecuniae creditae bona, non corpus dixere obnoxium, quibus in usu erat, ut defunctorum corpora vnguentis delibuta, ac si viui essent, creditori oppignorarent, et super his foenerarentur, magno dedecore illorum, qui constituta die cadauera pignori tradita non reluissent \*). Apud Athenienses erat vsitatum, ut, si litem pater non persoluisset, filius eandem exsoluere cogereetur, et vinculis publicis interim detineretur, sicut de Cimone et aliis traditur. Apud Boeotios, qui aes alienum non dissoluebat, in foro federe cogebatur, et circumstante plebe, in os et ora corbem accipere tenebatur, qua nulla fuit ignominia maior p). Indis vero,

A 3 qui

*tradat ad ipsam Ecclesiam in seruitium, usque dum se redimere possit, et EX CAPITVLATIONE CAROLI M. de Partibus Saxoniae Cap. 20. vbi constitutum est: si vero non habuerint, vnde personaliter persoluant, ad Ecclesiae seruitium dantur, usque dum ipsi solidi soluantur. Idem obtinet iure Lubecensi. Vid. L. I. Tit. 3. art. 1.*

o) Diodor. Sicul. Tom. I. p. 104. Ed. Wesfeling. *Νόμιμον ἐστὶ περὶ αὐτοῦ, καὶ τὸ δίδοναι τὰ σώματα τῶν τετελευτηκότων γονέων εἰς ὑποθήκην δανείῃς. Τοῖς δὲ μὴ λυσαμένοις ὄνειδος τε μέγιστον ἀπολαθεῖ καὶ μετὰ τὴν τελευτὴν σέβησις ταφῆς.*

p) Confer. Nicolaus Damascenus de moribus Graecorum, in Gronov. Thesaur. Antiq. Graec. T. 6. p. 3833. vbi: *Βοιωτῶν ἐνὶ τῆς χρεῶς ἐκ ἀποδοῦντας εἰς ἀγορὰν ἄγοντες, καθίσαι κελύουσιν, εἶτα κόφην ἐπιβάλλουσιν αὐτῶ. ὃς δ' ἂν κοφισθῆ ἄτιμος γίνεσθαι δοκεῖ δὲ τὸ τοιοῦτον, καὶ ὁ Ἑυριπιδὸς περὶ τῆς Βοιωτῶν τὸ γένος.*



qui creditum moratur, a creditore reus agitur, mox praefixa die, si non soluit, manu amputata et oculo effosso, morte afficitur <sup>q)</sup>. Apud Turcas huiusmodi farinae homines poenam capitalem subire debent <sup>r)</sup>. Apud Calicutanos et hodie legem vigere dicunt, qua creditor, posteaquam sibi aliquid deberi probauit, apud principem sacerdotum, ab hoc accipit frondem viridem, qua circulum facit in terra, quo deinde debitorem vocatum includit, cui nefas est ex hoc circulo frondeo exire, isque statim non solum creditoribus, sed etiam quibuscunque aliis, tanquam hostis reipublicae dilaniandus permittitur <sup>s)</sup>. Sineses huiusmodi debitores in carceres coniiciunt, si tempore praefinito soluere recusant, caeduntur verberibus, atque nouis solutioni dies praefigitur, quo praeterlapso, verbera ad necem vsque iterantur <sup>t)</sup>. Capitis poenam quoque perfidis debitoribus imposuere ciuitates Hanseaticae <sup>u)</sup>, item Carolus V. Imperator, <sup>v)</sup> Henricus IV. Galliae Rex <sup>w)</sup> nec non Fride-  
ricus

q) ALEXANDER AB ALEXANDRO lib. VI. cap. 10.

r) P. AERODIVS *Decif. I.*

s) ANTONIVS THESAURVS l. c.

t) MENDOZA *de regno Chinae* III. 10.

u) MEVIUS *in discuss. leuam. inopiae debitor.* pag. 422.

v) in EDICT. BRUXELLIS d. 7. Oct. 1531. emissio, quod etiam confirmauit d. 6. eiusd. mens. 1540.

w) vid. RECUEIL D'EDITS ET D'ORDONNANCES ROYAUX, vbi T. I. p. 735. haec: *Il soit extraordinairement procedé contre les Banque-*



ricus Rex Prussiae \*). Sicuti etiam in Saxonia Fredericus Augustus I. Rex memoriae gloriosissimae †), atque Xauerius Saxoniae Administrator ‡), Legislatores sapientissimi, ad compescendam decoctorum frequentiam hosce fraudulentos debitores vel in vincula coniici, vel pro caussarum conditione poenis acrioribus affici iusserunt. Furibus enim certe sunt longe periculosiores, quippe qui facilius queunt caueri.

§. IV.

Nunc dispiciendum, quo more erga eos se gesserint Romani. In eorum vero republica varia debitorum erat conditio. Nec si quis eosdem verberatos †), in vincula coniectos, in seruitutem detrufos, venditos, quin capite ple-xos †), eorumque corpora, si plures fuerint creditores, in partes

*Banqueroutiers et débiteurs, ils soient exemplairement punis de peine de mort, comme voleurs, affronteurs publics.*

x) Conf. LEYS. *Medit. ad Pandect.* Spec. 474. med. 2. et *Delineat.* Codic. Frideric. P. IV. Tit. IX. §. 157.

y) V. MANDAT. *wider die Banquer.* d. 7. Jan. 1724.

z) Conf. MANDAT. *promulg.* d. 20. Decemb. 1766.

a) V. SPARTIANVS in *vita Hadriani*, qui decoctores bonorum suorum, si suae auctoritatis essent, catamidari in amphitheatro et dimitti iussit.

b) Conf. AMMIAN. MARCELLINVS p. 402. in Edit. ab Ernesti edita ita inquit: *pronunciabat Valentinianus I. debitorem quendam, de quo egestate obscurum nihil reddere posse dicebatur, interfici debere.*



partes <sup>c)</sup> esse secta <sup>d)</sup> animaduernerit, ideo Romanos iniquitatis arguet, dummodo homines, qui culpa sua auita patrimonia perdidere, aliorum bona luxuriose viuendo dilapidarunt, diligentius consideret. Quae legum decemuiralium

e) Huius iuris rationem reddit RITTERSHVSIVS in *Comment. ad Inst.* et quidem hanc: *ut illius sectionis metu deterriti homines tanto magis cauerent aes alienum, tantoque obseruantiores essent fidei. Nam et nimiam aeris alieni accumulationem et fidei violationem, quae cum illa fere coniuncta esse solet, pro crimine prisici illi Romani habuerunt.*

d) V. LL. XII. TABVL. QVINTIL. *Inst. Orat. Lib. 3. cap. 6.* GELL. N. A. Lib. 20. c. I. TERTVLLIAN. in *Apolog. c. 4.* et inter recentiores eandem fouerunt sententiam RITTERSHVSIVS l. c. CYRACIVS in *Parat. ad Cod. Inst. Lib. VII. Tit. 71.* SIGONIUS in *Antiq. I. Pop. Rom. Lib. I. c. 6.* EZ. SPANHEIM in *Orb. Rom. Ex. II. cap. 25.* SALMASIVS *de modo Vsurarum c. 18. p. 809.* LEYSER in *Medit. ad Pand. Sp. 474. m. 2.* IVGLER in *Dissert. de sect. debitor. apud Romanos Lips. 1741.* Huius in locum lege Poetelia, seu vt alii rectius volunt, Peillia, cum in numis, auctore Vaillantio, ita scriptum inueniatur, bonorum successu proscriptio, vid. LIV. lib. 8. cap. 28. quae et ideo decemuirali verbo audiebatur sectio. Conf. TERTVLLIAN. c. 4. *sed et indicatos in partes secari a creditoribus leges erant, consensu tamen publico crudelitas postea erasa est, et in pudoris notam capitis poena conuersa est, bonorum adhibita proscriptio. Suffundere maluit hominis sanguinem quam effundere.* Postea a Iulio Caesare beneficium bonorum cessionis est introductum. Conf. L. 4. C. Qui bon. ced. poss.



ralium dispositio sine omni fere dubio e Graecia Roman  
est translata

§. V.

Quis autem Romanos aeque ac Graecos, licet in LL.  
XII. Tab. nulla inueniatur inter eos, qui machinatione  
fraudu-

DIODOR. SICVL. Tom. I. p. 90. Ed. Wesseling; Τῶν δὲ ὀφειλόν-  
των τὴν ἐκπράξιν τῶν δανείων ἐν τῆς ἀσίας μόνον ἐποίησατο, τὸ δὲ  
σῶμα κατ' ἐδάμια τρέποντασιν ὑπέρχεν ἀγώγιμον. — δεκτὴ δὲ καὶ  
τῶν τὸν νόμον ὁ Σόλων ἐἰς τὰς Ἀθήνας μετενεγκμένη, ὃν ἀνομασθε  
σεισάχθειαν, ἀπολύσας τὰς πολίτας ἀπαντας τῶν ἐπὶ τοῖς σώμασι  
πεπιστευμένων δανείων, quam legem Solon ab Aegyptiis referente  
DIOD. SICVL. acceperat. N. PETITVS ad leges Atticas p. 412.  
Paris. 1635. PLYTARCH l. c. DEMOSTHENES in Orat. aduer-  
sus Aristocratem Ed. FRASMI Basil. 1532. p. 449. Καὶ μὴν ἐγγυε  
τῶ ποιῶν ἀγώγιμον, πανθ' ὅσα ἀπέστηκεν ὁ νόμος δέδωκας. Χρή-  
ματα πράξασθαι. ζῶντα λυμαινεσθαι, κακῶν ἔχοντα αὐτοῦ ἀπο-  
κτινῶναι. SALMASIUS de modo V furar. cap. 17. pag. 754. vbi:  
Antea iuxta communem omnium Graecorum legem liceret Athenis ob-  
aeratos, qui soluendo non essent, ἀγώγιμος καὶ ἐυδότους facere;  
postea lege Solonis id vitium fuit: Item p. 789. Non ad hoc tan-  
tum ἀγώγιμοι fiebant, ut necerentur, et obligarentur, sed ut quo  
uillet modo, in eos creditor fauere; in firmitatem abducere poterat,  
in ὀφειδibus habere, cruciare, uendere peregre, denique neci dare.  
Quin etiam et secare in plures partes, si plures essent unius credita-  
rer. Et pag. 809. cap. 18. In omni Graecia praeterquam Athenis  
post legem Solonis non solum ἀγώγιμοι facta debitorum bona, sed  
etiam corpora.

B. 1. 1. 1. 1. 1.



fraudenta circumuenere creditores, et qui fortunae vitio ad incitas redacti sunt, differentia, tam imprudentes tamque crudeles fuisse iudicabit, vt non intelligerent, iniquissimum esse, eodem loco haberi eum, qui pecuniam, quam a creditore acceperat, praua libidine aut alea absumsit, et eum, qui incendio, latrocinio, atque aliquo casu tristiore aliena cum suis perdidit<sup>f)</sup>, aut suo spoliatur per aliorum, qui ipsi obligantur, fraudulentiam vel incuriam? Graue enim esset poena affici eum, qui delictum non commisit, cum homo omni culpa vacuus puniri haud debeat. E contrario aequum est, vt illi, qui fortunae acerbitate corruerunt, aliena excitentur pietate<sup>g)</sup>. Hinc certa introducta sunt beneficia, quibus debitoribus obaeratis, qui casibus foruitis bonorum deminutionem passi sunt, succurritur, inter quae non vltimum sibi locum vindicat pactum remissorium maioris creditorum partis, de quo in hoc libello vberius agere apud animum constitui meum.

### §. VI.

Describi hoc pactum commode poterit per plurium creditorum cum debitoribus aduersa fortuna in egestatem deductis conuentionem iudicalem, de parte debiti iis remittenda in partem, ita vt reliqui pro rara obligentur. Omnium autem pactorum iure ciuili eum ea sit conditio, vt  
solum-

f) SENECA de benefic. lib. VII. cap. 16.

g) CASSIODOR. I. Epist. 6.



solummodo ex iis obligentur pacifcentes, ac quisque rei suae, nemo vero alienae arbiter ac moderator credatur, nec paciscendo, nec legem dicendo, nec stipulando quamquam alteri cauere queat <sup>h)</sup>, facile quis existimare posset, hoc pactum esse irritum, omnique vi destitutum. At haec tristis et aspera antiqui iuris philosophia postea, cum praetores ad ius civile antiquum emendandum omnes ingenii adhiberent neruos, ac deinde Imperatores, aequitatem a legibus nunquam esse sciungendam constituerent, ita ut eorum placita cum iuris naturalis aequitate amicus consentirent, laetiores induit faciem, ut harum antiqui iuris regularum usus fere nullus superesse videatur <sup>i)</sup>, cum ex hoc

## B 2

## pacto

*h)* L. 73. §. 4. D. de R. I. quam QVINTI MUCII SCAEVOLOE regulam, quae est ex libro singulari *ἐξῶν*, repetit HARMENOPYLVS in *promt. iur.* lib. I. tit. 9. §. 22. Ex hac doctrina antiqua PAVLVS in L. II. D. de O. et A. hanc tradidit regulam: *quacunque gerimus, cum ex nostro contractu originem trahunt, nisi ex nostra persona obligationis initium sumant, inanem actum nostrum efficiunt, et ideo neque stipulari, neque emere, vendere, contrahere, ut alter suo nomine recte agat, possumus.* Ad quam regulam Imperatores DIOCLET. ET MAXIM. prouocant in L. 3. in f. C. *ne uxor pro marito: certissimum enim est, inquit, ex alterius contractu neminem obligari.* Conf. quoque l. 17. §. penult. l. 27. §. 4. D. de Pa&. Quibuscum conspirat IURIS CANONICI dispositio, scilicet quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari, v. reg. 29. de R. I. in 6to.

*i)* GROENEWEGEN ad §. 19. I. *de inutil. stipul. ubi haec tradit:*

*Super-*



pacto a maiore creditorum parte <sup>h)</sup>, siue commiserationis, siue periculi totius amittendi ratione inito, reliqui, licet dissentiant, vel absint, ad eandem quoque, quam maior creditorum pars remisit, debiti partem, compellantur, ne paucorum stultitia aut auaritia plurium morentur commoda, nec in potestate pauciorum sit <sup>l)</sup>, quorum minus interest, pluribus, quorum magis interest, nocere, nec ipsa maior pars dissentientium pruritu paucorum suo priuaretur commodo,

*Superuacuae uideri nunc possunt hae scrupulosae distinctiones, quatenus nunc quisque alteri stipulari ac pacisci potest.*

<sup>h)</sup> huius dispositionis fedes est in l. 7. §. 19. D. de Pass. et seqq. LL.

<sup>l)</sup> Quod a pluribus vel a maiore parte constituitur, optimum esse negat SENECA de uita beata cap. 2. *Esse enim non tam bene cum rebus humanis agitur, ut semper meliora pluribus placeant, attamen haec prouiso in communi gentium iure fundamentum habet, ita ut, si omnes in unum non conueniunt, hoc unicum concordiae remedium ut maxime necessarium receptum sit, parsque maior ad se trahat minorem, et maioris partis praeualeat autoritas.* THUCYDIDES lib. V. c. 30 *Κρίσιον εἶνεκα δ', τι ἀν τὸ πλῆθος ψήφισται.* Dionysius Halicarnassensis lib. II. c. 14. *δ', τι ἀν δόξῃ τοῖς πλείοσι τῆτο μᾶζον.* PRUDENTIUS in Symmach. I. vers. 607. 608. *Infirmi minoris uox cedit numeri, paraque in parte quiescat.* EVERTIUS lib. X. cap. 6. n. 15. *Eo quod maior pars decreuerit, fietur.* SCAEVOLA in l. 19. D. ad municipal. *Quod maior pars curiae effecit, pro eo habetur, ac si omnes egerint.* l. 46. C. de Decur. *Nec sine ratione haec regula quoque recepta est in hac materia, ut minor creditorum pars cedat maioris partis uoluntati.*



commodo, multo minus in difficiles incideret tricas, unde minus saepe accipitur, quam impenditur.

§. VII.

Huius constitutionis auctorem non M. Aurelium Antoninum Philosophum, sed Antoninum Pium fuisse, quamvis ex Rescripti illius Imperatoris verbis clarum sit atque manifestum, Vlpiano teste, in l. 8. et 10. D. de Pact. in qua l. 10. dicitur: *et repeto, ante formam a Divo Marco datam, Divum Pium rescripsisse, fiscum quoque in his casibus, in quibus hypothecas non habet, et ceteros privilegiarios exemplum creditorum sequi oportere*, tamen duumviros, viros omni laude maiores, qui ab hac sententia recedunt, reperi, Bachouium <sup>m)</sup>, scilicet atque Cuiacium <sup>n)</sup>, qui M. Antoninum auctorem nominant, atque ante eum maioris partis creditorum pactum ceteris non nocuisse, tradunt, quamquam hunc Imperatorem certam huic pacto formam dedisse, inficias ire nolo. Quid autem velit ea forma, facile liquet ex l. 7. §. ult. D. de Pact. vbi ait Vlpianus, hanc pactionem hodie ita demum obesse creditoribus, si omnes

B 3

in

m) in cap. de Obj. Pact. n. 9.

n) ad l. 7. §. ult. D. de Pact. vbi: *Nunc ait hodie i. e. ex Rescripto D. Marci, qui primus huic rei formam dedit certissimam. Ante Rescriptum D. Marci ceteris pactum non nocebat. Hodie tamen: haec verba sunt VLPIANI, non TRIBONIANI, ut nonnulli credant. Hodie enim dicitur in oppositione ad pactum remissorium maioris creditorum partis, quatenus antea fuit in usu.*



in vnum conuenerint, et communi declarauerint consensu, quota debiti parte velint contenti esse, vel praetor, illis dissentientibus, decretum interposuerit ex voluntate maioris partis \*).

## §. VIII.

Hanc sanctionem vero non vbiuis locorum esse receptam, ac multis in locis huic pacto esse derogatum, e. g. apud Lubecenses, Hamburgenses, aliosque, satis clare ostenderunt Groenewegenius <sup>2)</sup> et Meuius <sup>3)</sup>. Plurimis tamen in locis eam adhuc frequentari, sunt, qui putent, vt Berlichius, Carpzovius, Strykius aliique. Quin in Saxonia valeat, nullum est dubium, cum expresse id constitutum inuenimus in Ordinatione Iudicii mercatorum Lipsiensi Tit. 25. porro in Edicto Regio, quod contra decoctores, qui foro cesserunt, ann. 1724. emissum fuit, denique in nouissimo Mandato de ann. 1766. quo, vt minor creditorum pars ob illud placitum a maiore parte initum, ad tantundem remittendum adigi possit, haec potissimum requiruntur.

## §. IX.

1) Vt omnis debitor obaeratus, nobilis, ignobilis, eruditus, illiteratus, clericus, laicus, collegium, vniuersitas

o) NOODT. de Pact. et Transact. cap. 21.

p) de LL. abrogatis, ad l. 8. D. de Pact.

q) ad Ins Lubecense Art. 13. lib. 3. Tit. 1. num. 16.

tas, priuatus, opifex, rusticus, mercator, non mercator, in genere eius sit conditionis, qui seibili cessionis beneficio non indignus esse videatur. Deinde, vt debitor eiusmodi pactum cum consensu curatoris bonorum et iudicis, cuius iurisdictioni ipse subest, ineat, cumque is rei teneat partes, ac creditores quasi ad agendum prouocet, specificationem i. e. veram omnium bonorum suorum, nominumque tam actiuorum, quam passiuorum, sine iurium et obligationum designationem, quam vrgentibus creditoribus, iurato confirmare debet, exhibeat, rationum suarum libros, si mercaturam exercuit debitor, edat, atque infortunii causas exponat, praeterea sacramento sese obstringat, ante finitam causam neque ex territorio, neque ex domicili sui finibus, venia non impetrata, se discessurum, neque de rebus suis quicquam statuturum, multo minus \*) a debitoribus nomina exacturum, aut vlli creditorum suorum prae aliis satisfacturum, vel alia ratione iisdem gratificaturum. At si nihilofecius quaedam fingat debita, vel vni creditorum plus, quam verum est, se debere contendat, eaque ratione fraudem, quin periurium committat, vel vni creditori magis faueat, quam alteri, ita vt reliqui damnus exinde sentiant, statim in carceres conicitur, bonorum cessionis beneficio priuatur, et poenis, speciali inquisitione

\*) *Mandat. nouiss.* de ann. 1766. d. 20. Decembr. §. 17. iunct. §. 3. 4. et 5.



quisitione prius instituta, in dolosos decoctores et periurii reos constitutis, personarum ratione non habita, afficitur, creditor autem, qui turpiter cum debitore malitioso coludit, quod alias ex concursus massa acciperet, amittit, idque piis vsibus cedit, simulque cum causae patrono, qui hancce fraudem consilio operauit adiuit, carcere per quatuor septimanas concludendus. Si vero mercator in eam conditionem incidit, vt solidum creditoribus praestare amplius haud possit, id indicet necesse est iudici suo, quatuor septimanis ante initium nundinarum Lipsiensium et Numburgensium, nisi beneficiis sibi competentibus se ipse priuare, poenasque seueriores incurrere velit. Quod si sibi gratam expetat securitatem, idque agat, vt ab actionibus eorum, qui debita flagitant, securus sit, com meatu aduersus creditores cambiales, si bona creditoribus sufficiunt, ipsi concedendus haud est. Non incongrue hic quaeritur, num etiam feminae hocce pactum cum creditoribus inire possint? Quod extra omnem dubitationis aleam est positum, dummodo fiat cum curatoris consensu, cum in regula nihil omnino negotii forensis sine curatore, siue minoris, siue maioris aetatis sint, siue nuptae, siue solutae, suscipere ac gerere queant, licet etiam actus feminae in fauorem celebretur, deficiente tamen curatoris auctoritate omni destituitur validitate.

r) §. 18. di. Mandat.

ditate<sup>t)</sup>. Nec aliud dicendum de tutoribus atque curatoribus rite constitutis, si concursum hac ratione in pupilli minorisve utilitatem ac fauorem auertere atque declinare velint<sup>u)</sup>, ita ut minores, cum ad maiorem aetatem peruenierint, hoc pactum ex capite laesionis etiam ultra dimidium factae iure impugnare nequeant<sup>v)</sup>.

§. X.

Porro necesse est, ut 2) iudex competens, coram quo creditores debitorem conueniunt, postea intra 14. dies, sub multa 10 Imperialium<sup>w)</sup>, Edictales<sup>x)</sup> emitat, quae, excepto foro concursus, in tribus diuersis emporiis

t) *Ord. recogn.* ad Tit. VIII. §. 3.

u) L. 15. D. de *Pact.* Obstat quidem videntur L. 22. C. de *Pact.* et L. 46. §. ult. D. de *Administ. Tutor.* sed conferenda L. 44. D. de *Pact.* et L. 59. D. de *Administ. Tutor.*

v) arg. L. II. §. 4. D. de *Minoribus.*

w) intuitu mercatorum. Ratione vero non mercatorum Edictales intra 14. dies sub multa 5. Imperialium sunt emitendae. v. *Mandat. nouiss.* §. 22.

x) Publica enim requiritur citatio, quae priuata longe est melior, quia haec non est sine periculo. Nam facile fieri potest, ut ad quosdam citationis notitia non perueniat, et ab illis postea huius pacti praedictum citationis incognitae exceptione declinetur. At si omnes creditores sponte conueniunt, absente nullo, citatio per edictum haud est necessaria.



riis <sup>a)</sup>), iisque celebrioribus, in primis in iis, vbi creditores, quibus maxima pecuniae vis debetur, commorantur, rite affigendae sunt, atque creditores ad tentandam compositionem amicam, vel ad pactum cum debitore ineundum, immo etiam ad designanda debita citentur <sup>b)</sup>), et quidem concessio triplici spatio Saxonico <sup>c)</sup>), sub hoc praeiudicio, vt, si in termino, qui in nouellis semel vel repetitis vicibus indicandus est, quidam absint, vel, dum comparent,

a) Sed si iam ipsa praedia equestria concursu creditorum implicentur, non solum vt citatio publica triplex spatium Saxonicum contineat, necesse est, sed etiam, vt ea in tribus vrbibus cum laxioris tum strictioris conuentus, quae vulgo dicuntur *Städte des engern und weitern Ausschusses*, publice affigatur, requiritur. Si vero bona non mercatoris creditoribus non sufficiunt, citatio duplex spatium Saxonicum in se continere debet, eaque tribus in locis diuersae iurisdictionis est affigenda.

b) L. 10. D. de *Pact.* vbi *ULPIANVS* quidem statuit, omnes conuocandos esse creditores, negat tamen, praesentiam omnium esse necessariam, ne quorundam mora fiat, vt aliis deperat seruandi debiti occasio. Audiantur enim necesse est omnes, ad quos causa pertinet, potuisset etiam absentium auctoritas, si adfuissent, ceteros in aliam trahere sententiam. Sin autem citati non compareant, pro consentientibus merito habentur. vid. *NOODT ad Edict. Praetoris de Pact. et Transact.* cap. 21. Conuocationem omnium non esse necessariam, statuit *BERLICH.* P. II. Decis. 236. n. 5. sed id relictius affirmatur a *STRYRIO* in *Vf. M.* lib. II. tit. 14. §. 11.

c) Hoc quoque requiritur, si concursus est ortus in praediis nobilium, duplex autem, si in bonis non mercatorum.

parent, credita rite non probent, pro praeclusis, ii e contrario, qui, licet in termino se sistant, animum tamen de pacto vel acceptando, vel repudiando, satis luculenter non declarent, pro consentientibus habeantur. In ipso autem termino creditores vel ipsi <sup>d)</sup>, vel per mandatarios iudiciali auctoritate et ad transigendum potissimum constitutos comparere, credita sua indicare, nec non intra sex septimanarum spatium eadem vberius demonstrare debent, intra quod spatium etiam curator litis mutuis positionibus iisdem respondere obstringitur. Si verò debita in controuersiam deducantur, neque satis liquida esse videantur, iudex sine sententia interlocutoria, tales creditores, credita sua vt sacramento coroborent, adigere poterit.

§. XI.

Praeterea quoque 3) communi debitori iurato, praeterea diligenti vnus alteriusue sacerdotis de vitando perurio admonitione, asseuerandum, se totum patrimonium, quod possidet, atque omnia, quae id efficiunt, bona fide-

C 2

liter

*d)* Hoc pactum facere debent creditores in ipso conuentu, quia omnibus, vel pluribus praesentibus, omnium rationibus propositis et ventilatis, res plenius curatiusque expenditur, ac saepe fit, vt vnus rationibus suis alios quoque in suam perpellat sententiam. Quae propter toties, quoties plurium sententia praevalere, et minorem partem ad se trahere debet, certus requiritur conuentus, et vt causa dubia ipso in conuentu tractetur atque finiatur. v. Lauterb. diff. de Pact. praecid. remiss. Tubing. 1667. hab.



liter fuisse professum, nihil de bonis suis reticuisse, seque tantum, quantum indicavit, creditoribus suis vere debere. Quid vero dicendum, si debitor, absente clerico, bonorum iamiam eiuravit copiam, erit ne iusiurandum nihilofecius in clerici praesentia repetendum? Id quidem ab Illustr. ICtorum Viteb. Ordine affirmatum est <sup>e)</sup>. Ab hac autem iurisiurandi praestatione in praesentia alius clerici, ipsum fortassis clericum liberum quis pronuntiabit, cum is sacramento vim atque indolem optime sciat, aliosque saepissime, ut periurium vitent, serio admonuerit. Nihilofecius tamen id hoc modo praestare debent. Volunt quidem ipsum iusiurandum ex ea ratione, dum ipsorum fidei pastoralis tantum sit tribuendum, ut istius praestatione superfedere commode queant, et multo magis clerici admonitionem declinare. At nullum est ius, neque nostrum, neque pontificium, quamvis hoc clericis vehementer faueat, quod eos eximat. Sic in omni causa etiam civili, nimirum in iuramento malitiae, calumniae, delato, diffensionis, editionis, suppletorio, purgatorio, testimoniali, manifestationis, et in genere, quando veritatis occultatio ingens affert lucrum, cum clerici non minus affectibus quandoque regantur, quam alii, iis est iurandum, et quoties metus periurii adest, toties accedat

<sup>e)</sup> Conf. Ill. FISCHERI *dissertat. de veritate per clericum eruenda.* hab. Viteb. 1758. §. 10.



accedat clerici admonitio, necesse est <sup>f)</sup>). Nec personae illustres ac nobiles, ab hocce iureiurando immunes sunt statuendae, licet id, quod iurato confirmare debent, sub generosa fide velint asseuerare, ac iure canonico fides interposita iuriurando aequetur <sup>g)</sup>), multisque in regionibus vice iuriurandi receptum sit, ut fides, datis dexteris, aut alio quodam signo obstringatur, ea quidem vi, ut, nisi impleatur promissio, promissor non minus detestabilis habeatur, quam si peierasset <sup>h)</sup>). Si debitor nihilofecius dolose, ac in fraudem creditorum egerit, legum beneficiis indignus erit iudicandus. Si vero quaedam debita ex errore vel reticuerit, vel non accurate indicauerit, hoc pactum quoque erit nullum, cum versatus fuerit in ignorantia facti proprii eademque supina, quam facile vitare potuisset.

§. XII.

4) Patrimonium vero debitoris obaerati ita comparatum esse debet, ut vel creditoribus chirographariis dimidia pars exsolui queat. Hinc si creditorum maxima pars plus, quam dimidiam partem, vel totum debitum remittere vellet, huiusmodi pactum liberatorium reliquis creditoribus

C. 3. non

f) vid. Exc. KLÜGELII *dissert. Num clericorum testimonium fide ipsorum munitum sine iuriurandi necessitate in negotiis iudicialibus sit validum?* hab. Viteb. 1772.

g) v. Cap. 3. X. de his, quae vi metusue causa fiunt.

h) Conf. Grot. de I. B. et P. Lib. II. cap. 13. §. 22. Gail. lib. I. obs. 101. Mynsinger. Centur. I. Obs. 17.



non obset. Si nonnulli creditores misericordia in debitorem ducti, totum debitum, vel eius partem remittant, ita vt chirographarii dimidiam debiti partem saluam habeant, pactum erit legitimum. Quod etiam tunc erit statuendum, cum creditorum nonnulli vsuras exigant illicitas, vel contractus cum debitore celebrarint illegitimos, quibus causam dant, quominus chirographarii 50. Imperiales loco 100. accipere possint, detractis tamen vsuris illicitis, tantum restet, quantum nouissimo exigitur Mandato. Illi erim debitores, qui id praestare nequeunt, nisi demonstrent, se per aliorum, qui ipsis obligantur, fraudulentiam, patrimonii detrimentum fuisse perpeffos, vel casibus fortuitis, vt incendio, bello, naufragio, latronum incurfu, sterilitate in agris, lue pestifera in pecoribus, inundationibus, terrae motu, morbo diutino, atque aliis, quos prouidentia humana nec prospicere potuit, nec auertere, magnam bonorum partem amisisse, legum beneficiis non recreantur.

§. XIII.

Non possum, quin hac occasione hanc moueam questionem, num liberorum multitudo ad casus fatales sit referenda? Exrelatione vero Illustr. Praefidis comperi, sapissime in actis ad dicasteria huius vrbs transmissis, debitores de liberorum multitudine quidem graues fuisse querelas, eamque casibus fortuitis, quibus patrimonium fuerit exhaustum,



haustum, annumerasse, Iureconsultos vero, quibus vrbs nostra floret eiusmodi querelas tanquam inhumanas atque impias reiecit. Eodem modo sese res habet cum monetae mutatione, cum scilicet numi improbi ad iustum reducuntur pretium. Nam licet etiam quaedam numismata sint leuioris pretii, istamen nunquam deest valor internus, isque certus, nec desunt probae, iustique ponderis et valoris monetae, quae normam dant, ad quam exigi possint leuiores. Nec aliud dicendum de cognationibus lustricis, ac remotione a munere, si nimirum debitores eo rite non sunt functi.

§. XIV.

Nec incommode hic quaeritur, an et furtum huc pertineat. Sunt, qui hoc statuunt, vti Boehmerus <sup>i)</sup> aliique. At ego existimo, hanc litem facili negotio aliqua distinctione posse tolli atque remoueri, si nempe res maioris momenti violento et periculoso modo auferuntur, id negandum haud erit; aliter autem sese res habet, si simplex furtum in rebus leuioribus est commissum, cum tunc semper culpa aliqua concurrat. In primis autem his temporibus in censum casuum fatalium numerari merentur damna a muribus frumento data, iacturae ab exterarum regionum mercatoribus factae <sup>h)</sup>, quae saepe terris remotissimis magnam afferunt perniciem, quibus nunc nihil est frequentius, nec

i) in *Dissert. de pacto remiss. moto concursu*. hab. Halae 1725. §. 8.

h) v. §. 4. *Mandati laudari*.



nec non hostium incurſus, quibus quis opibus ſuis vel in totum, vel pro parte priuatur, partim deprædatione, partim ædium combuſtione, partim collationum publicarum exactiōe, ob quas præſtandas quis æs alienum contrahere debuit.

Porro illi, qui duobus annis ante, quam ad eum ſtatum ſunt redacti, veram bonorum ſuorum designationem non confecere, nec non ii, qui iamiam beneficio ceſſionis ſtebili ſunt fructi, eo amplius haud recreantur, atque ad malitioſos referuntur decoctores.

§. XV.

Tandem ſ) maior creditorum pars hic non tam numero perſonarum, quam potius quantitate debiti<sup>1)</sup>, quod poſtulant, eſt æſtimanda, ita vt non ſingula credita, ſed omnia ſimul ſint ponderanda, e. g. ſi quatuor ſint creditores, quorum vni 200. Imperiales, reliquorum vero cuiuslibet 100. debeantur, quaeritur, quaenam ſententia ſit præferenda, vtrum vnus, cui 200. an reliquorum, quibus 300. debentur. Certe plurium hic vincet auctoritas, cum eorum debita maiorem ſummam efficiant. Nec ſemper ſunt numeranda creditorum capita. Plures enim nonnunquam vnus creditoris loco ſunt, vt plures rei ſtipulandi,

quia  
 1) In debiti quantitate non tantum ipſæ fortes computantur, ſed et omnes uſuræ. v. L. 9. §. vlt. D. de Paci. Summæ autem applicare debemus etiam uſuras.

quia vna eorum est in solidum obligatio, sicuti etiam plures tutores vnus creditoris pupilli, siue plures procuratores, quibus ab eodem mandatore vnum idemque negotium perficiendum fuit commissum, vnus loco numerantur, quia vnus pupilli et creditoris nomine conuenerunt. Nec non et vnus tutor plurium pupillorum nomine vnum debitum exigentium, si conuenerit, vnus loco esse videtur, id quod ostendit L. 9. D. de *Pañis*, quam emendatione indigere putat Anton. Faber, qui sibi ita legendum esse persuader: *non vnum debitum praetendentium*. At hac emendatione commodè supersedere possumus, partim ea ex ratione, quia ipsi pupilli, quorum vices gerunt tutores, si ob diuersa agerent debita, non vnus loco haberentur, licet difficile sit, vt vnus homo duorum vicem sustineat, sicut in hac lege dicitur, tamen id fieri potest, partim, quia eodem modo et Graeci <sup>m)</sup> legunt, his quidem verbis: *Καὶ ὁ ἔχων πολλὰς ἀγωγὰς, ἐν πρώτῳ ἐστὶ. Καὶ οἱ πολλοὶ μίαν ἔχοντες ἀγωγὴν, ὡς ἐπὶ τῶν κοινῶς ἐπερωτησάντων, ἢ δανεισάντων. Καὶ οἱ πολλοὶ ἐπίτροποι τῷ ἐνὸς ὀφειλῆ. Καὶ εἰς ἐπίτροπος πολλῶν ὀφειλῶν ἐν χρέος προβαλλομένων, δυσχερὲς γὰρ ἐστὶν ἐνὶ ἀνθρώπῳ δύο προσώπων τάξιν ἐπιχειρῆν.* Si vero aequalis sit debitorum quantitas, tunc maior pars ex numero personarum accipitur. At si par sit et debiti quantitas, et creditorum numerus, eorum sententia

prac-

m) v. *Libr. Basilic. lib. XI. tit. 1. l. 9. T. I. pag. 724.*



praefertur, qui dignitate praecellunt <sup>n)</sup>). Si denique omnia sint paria, humaniorem sequetur iudex sententiam, quae omnibus maxime est proficua. Ut breuiter dicam, vincit quantitas, non numerus, numerus, non dignitas, dignitas, non humanior sententia. Si itaque nullum horum a me recensitorum deficit requisitorum, licet minor creditorum pars dissentiat, nihilofecius tamen pacto a maiore parte inito standum erit.

§. XVI.

Quae huc vsque tradidi, valent quidem intuitu chirographariorum, non vero eorum, qui iure domini, praerogatiua singulari, aut hypotheca gaudent <sup>o)</sup>). Illis enim consensu chirographariorum damnum fieri nequit. Num vero hypothecariorum maior pars, siue inaequalis sint conditionis, siue aequali vtantur iure, tam ratione modi, quam temporis, minori hypothecariorum obesse possit parti, vehementer inter doctores disceptatum est. Tantum autem abest, vt minor pars maioris partis placitum comprobare teneatur, vt potius ab eo recedere, idque reuicere illis permiffum sit, quam quidem sententiam praecipit legis prudentiffimae

<sup>n)</sup> Pro dignioribus enim stat maior aequitatis et prudentiae praesumptio, ita vt illorum fides plerumque praerferatur. l. 3. princ. et §. 1. de test. l. vlt. D. de fide instrum.

<sup>o)</sup> v. Mandat. contra decoctores de ao. 1724. §. 16. et nouiff. Mandat. §. 17.

dentissima sanctio<sup>p)</sup>. Etenim rem ipsam propria persequi possunt actione eademque reali, quod ius ceterorum creditorum conventionē adimi ipsis nequit, vid. Carpovius<sup>q)</sup> et Berlichius<sup>r)</sup>, a quibus dissentit Lauterbachius in laudata sua dissertatione, ratione creditorum priorum. Regula enim, privilegiatum contra aequè privilegiatum iure suo uti non posse, vim hic amittit suam.

§. XVII.

De hypothecariis itaque et illis, qui ius habent praestantius, ambigendum non est. Sed quo minus idem de omnibus privilegiariis sentiamus, prohibere videtur Vlpianus in l. 10. D. de *Pact.* qui privilegium auferri ait, et Paulus in l. 58. §. 1. D. *Mandati vel contra*, id negat. Cuiacius in commentario suo ad *Tit. de Pact.* Paulum ex ratione iuris, Vlpianum vero ex D. Pii rescripto quaestionem decidere arbitratur, nec novum esse, ut iuris rationibus rescripta plerumque repugnent. At enim vero nulla inter Vlpianum et Paulum pugna intercedit, uti iam rectè obseruarunt Noodtius<sup>s)</sup>, atque Vinnius<sup>t)</sup>. Non enim Vlpianus

D 2

pianus

p) cf. §. 16. d. *Mand. de ao.* 1724.

q) P. II. *const.* 22. def. 28.

r) P. II. *Decis.* 238. n. 6.

s) in libro singulari ad *EDICTVM Praetoris de Pact. et Transact.* cap. 21.

t) in *Tract. de Pact.* cap. 17. §. 8. Plane aliter has leges conciliare studeo



pianus, absentibus suum priuilegium ea creditorum pactione auferri statuit. Id quoque non ita esse, intelligitur ex Paulo l. 58. §. 1. D. *Mandati*. Tantum, ait Ulpianus, ipsos sequi praesentium creditorum exemplum, id est, oportere esse debiti parte contentos. Proinde si vniuersi creditores debitam singulis partem, post pactionem interpositam, ab herede ob eius inopiam, aut casum fatalem infecutum, nequeant consequi, adhuc placet, priuilegiarios in debiti portione praeserri reliquis creditoribus chirographariis. Hoc vero si contingit, apparet, eos priuilegium, quod habent inter personales creditores, reliquorum pactione non amittere, non magis, quam hypothecarii creditores ea pactione ius hypothecae amittunt. Atque hoc sensu Paulus priuilegium comparat cum hypotheca. Inter quae alioquin haec occurrit differentia, quod creditoribus hypothecariis ne in debiti quidem portione ceterorum conuentione nocetur, priuilegiariis vero, etsi priuilegia non minuuntur, in debiti tamen portione nocetur. Quod discrimen intuitu hypothecariorum et personaliter priuilegiatorum confirmatum inuenimus in O. P. V. Tit. 49. ita, ut proxime ab hypothecariis in quarta collocentur classe, omnibusque praeferantur chirographariis. Hodie vero in nostra Saxonia priuilegiati chirographariis sunt

studet BERLICHIVS, quod apparet ex eius *Decis.* 241. P. II. tit. 17. et 18.



funt exaequati, nec vlllo amplius gaudent praelationis iure<sup>n)</sup>. Sicuti vero hypothecarii suffragia maioris partis sequi non tenentur, ita quoque idem affirmandum est de creditoribus, qui mandatorem vel fideiussorem habent. His enim prospectum est lege 58. §. 1. D. *Mandati vel contra.* quae declarat, iniquum esse, auferri eis electionem, vtrum debitorem, an fideiussorem velint conuenire<sup>n)</sup>: si nempe creditores vel absentes fuerint, vel noluerint consentire. Sin vero consentiant, etiam mandatori eorum consensus prodest. Hodie vero creditores, siue dissentiant, siue absentes sint, pro consentientibus habentur, at ob residuum aduersus fideiussores iis denegari nequit actio.

## §. XVIII.

Olim quoque ii, qui arresta impetraverant, non sequi debebant voluntatem maioris creditorum chirographariorum partis, quia iis ius competeat reale, ac arresta intuitu effectus hypothecis aequiparabantur. At hodie dispositione O. P. R.<sup>n)</sup> ius reale iis est ademtum, hinc ad chirographarios referuntur.

D 3

## §. XIX.

<sup>n)</sup> cf. O. P. R. S. cit. Titul. RIVINVS ad Tit. 42. *Enunc.* 12 et 14. CARPZOV. P. III. *Decis.* 280. n. 8. BARTH *Hodeg.* pag. 728. MENER. *Disp. ad Proc. Tit.* 49. §. 1. *Decis. Reg.* 26. de ao. 1746. LEYS. *Med. ad Pand. Spec.* 531. med. II.

<sup>x)</sup> TRENTACINQV. *resol.* Lib. 3. sub Tit. *de solut.* cap. 3.

<sup>y)</sup> ad Tit. 48.



## §. XIX.

Cambiales quoque creditores antea inter privilegiatos numerabantur, quod autem, ut iam monui, per O. P. R. S. est mutatum, atque per Mandatum contra debitores obaeratos ann. 1724. emissum, §. 16. nec non per Decif. Reg. 26. de ann. 1746. quae iisdem fere verbis nouissimo Mandato contra malitiosos decoctores §. 19. est inserta, cuius quidem dispositio haec est, ut creditores cambiales, si inter creditores concurrentes reliquos nomen iamiam fuerint professi suum, licet deinde debito in foro concursus renunciauerint, vel ratam suam acceptare recusauerint, ac rigorem cambialem sibi reseruauerint, ius cambiale amittant, ii autem, qui moto concursu, credita sua non indicauerint, ideoque praecclusi fuerint, actionem cambialem aduersus debitorem, praeterlapso salui conductus tempore, saluam habeant. Hoc tamen in casu debitor cambialis, qui solutionem praestitit, a carcere est liberandus, pecunia vero rigore cambiali exacta, in iudiciali deposito relinquenda, nec creditori cambiali prius, quam omnes creditores, qui moto concursu, credita sua indicarunt, debito modo acceperint, tradenda.

## §. XX.

Vtrum autem huius pacti exceptio, finito pacto, vel concursu, \*) si debitor ad lautiores redeat fortunam, residuum petentibus obsit, saepenumero quaeritur. Affirmatiuam

\*) L. 1. C. qui bon. ced. poss. et §. 40. I. de action.

matiam tuctur sententiam Meuius <sup>o</sup>), rectius vero ideo, quia ob debitoris inopiam remissio facta est, qua cessante, cessat et debiti remissio, negatur secundum *cap. 3. X. de solut.* et iure nostro secundum Mandatum laudatum §. 17. licet sibi creditores id, quod remiserunt, non reseruauerint. Nec vlla differentia inter opes ac rationem, qua illas sibi acquisiuit, est statuenda. Siue itaque studio operaque sua, siue hereditatibus, donationibus, praemiis forte acquisitis, aliove modo res familiaris debitoris fuerit aucta, adigi potest, vt creditoribus, quantum fieri potest, satisfaciatur, iisque debitum residuum soluat. Nec alio fruitur solatio debitor, quam quod vsuras debiti residui deducit, ac in bonis postea acquisitis beneficium habet competentiae. Si itaque vnus vel alter creditorum, debitorem ad meliorem peruenisse fortunam, iudici indicat, bonorum copiam eiurare, siue iusiurandum manifestationis creditoribus vrgentibus, debet praestare. Quodsi ex vita discesserit debitor obaeratus, intra annum creditores iudicem adire eumque rogare possunt, vt defuncti hereditatibus

*a* in *discuss. leuam. inop. cap. 3. p. 114.* qui statuit, ad tempus contractus esse respiciendam, non ad id, quod postea accidit, *l. si voluntate*, in *f. C. de rescind. vendit. l. 3. §. 5. D. de iur. Eise.* *ci. ad aures X. de reb. eccl. alien.* Deinde non ponderanda solum summa remissa, sed qua molestia, quo sumtu, quanta difficultate, quibus litium ambagibus, quo periculo et dubio euentu ad eam extorquendam, more saeculi nostri opus fuerit.

E



bus iniungatur, vt inuentarium, vel eius loco iuratam edant specificacionem. Haec si negligant, iuribus priuantur suis. Idem obtinet, quando concursus re ipsa est ortus, et debitor postea locupletior factus, et tunc quidem residuum a creditoribus conditione ex turpi causa posse repeti, putant Berlichius, <sup>b)</sup> Meuius, <sup>c)</sup> et Mollerus, <sup>d)</sup> si scilicet debitoris inopia eiusdem vitio sit contracta, isque dolum malum commiserit, quam quidem opinionem ipsa utilitas publica suadere videtur. Quodsi remissio ob veram et miseratione dignam inopiam sit facta, nihil repeti posse contendunt, quod nunc aliter se habet ob dispositionem nouissimi Mandati, quia iam principalis ex mutuo reuiviscit actio.

Praeterea non inutilis erit quaestio, an eiusmodi pactum quoque certis sub conditionibus possit iniri, quod negandum haud est, modo honestis fiat sub conditionibus atque licitis.

### §. XXI.

Restat, vt paucis adhuc videamus, num quilibet iure ciuili cum creditoribus hoc pactum ita inire queat, vt inde minor pars cogi possit? Sunt, qui existiment, dispositionem legis 7. §. 17. D. de *Pact.* spectare solummodo ad casum singularem, cum scilicet heres, qui vocatur ad heres-

b) P. II. *Decis.* 244. n. 1. et 15.

c) in *discuss. leu. inop. deb.* cap. 7. n. 83. 84. et 85.

d) Lib. IV. *Semestr.* cap. 6. n. 7.

hereditatem obaerati debitoris, aes alienum metuens, ita se gerit, vt aliter nolit adire hereditatem, quam si a creditoribus sibi cauerit, fidemque ab illis acceperit, se certa debiti parte fore contentos. Hodie debitoris heredes, qui soluendo non sunt, intra octo hebdomades animum de adeunda vel repudianda hereditate luculenter declarare debent. Quodsi omiserint, ab hereditate excluduntur. <sup>e)</sup> Hinc si quis pro herede quidem se gesserit, a iudice vero admonitus, vt intra tempus praefinitum certo significet, velitne hereditatem suscipere nec ne, consilium suum satis clare non significauerit, postea tempore, quod a iudice fuit praefixum, elapso, amplius non auditur. Sic mensē Septembri anni praeteriti Scabinos Vitembergenses respondisse, Illustr. Praefes mihi confirmauit.

§. XXII.

Quae de herede hereditatem repudiante, nisi pars remittatur debiti, dicta, ex rationis similitudine ab interprecibus ad eos quoque applicantur, qui ob aes alienum fugitiui atque latitantes, indeque conuentu difficiles, sui copiam facere et se sistere detrectant, nisi vocatis in partem creditoribus <sup>f)</sup>. Addunt et alii tertium casum, si debitor propter paupertatem, nisi partem debiti credito-

E 2

res

<sup>e)</sup> ORDINAT. IUDIC. *Mercat. Lipsiens.* Tit. 23. et *Mandat. nouissim.* §. 16.

<sup>f)</sup> cf. VINNIUS in *Tract. de Pact.* cap. 17. n. 3. et VOETIUS in *Comment. ad D. Lib. II. Tit. 14. §. 27.*



res remittant, bonis cedere paratus sit <sup>g</sup>). Quicquid autem sit, hanc legem, ut opinio mea fert, non esse stricte interpretandam, sed speciem ibi recensitam exempli loco esse allatam, et ad omnes debitores, tam defunctos, quam viuos, etiam ad latitantes pertinere, mihi persuadeo, ita ut heres, modo iusiurandum de credulitate iuret, quamuis hereditatem iam adierit, veluti vxor defuncti vel eius liberi, aut eorum nomine tutor <sup>h</sup>), quin imo procurator, modo speciali instructus sit mandato, cessionarius quoque et curator hereditatis iacentis obaeratae, vel tertius quidam <sup>i</sup>), pactum remissorium a debitore viuo coeptum iam continuare, vel denuo instaurare possit <sup>k</sup>).

g) V. BERLICH. P. II. *Decis.* 235. n. 4.

h) quin et ipse, si est creditor pupilli, cum alios creditores pupilli ad eiusmodi pactum et remissionem induxit, obligatur, et in pactum a maiore creditorum parte initum consentire tenetur. L. 44. D. de Pact. L. 59. D. de Administr. et Peric. Tutor. et BERLICH. P. II. *Decis.* 235. n. 18. non vero tunc, cum illi creditores, qui consenserunt in remissionem, non faciant maiorem partem, licet BERLICH. l. c. sententiam foueat contrariam.

i) cf. V. C. IO. TOB. RICHTERI *Processum pacti remissorii* cap. 2. §. 7. 8. 9. et 10.

k) vid. *Mand. nouiss.* §. 17. in fine.










Wittenberg, Diss., 1770-73

X 228 32 35





Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

36

DE  
PACTO REMISSORIO  
DISPUTATIO 1773 8

G. 37. num. 36.  
3A

QVAM  
PRAESIDE  
D. GEORGIO STEPHANO  
WIESANDIO

PROFESSORE INSTITVTIONVM ORDINARIO  
CVRIAE PROVINCIALIS SCABINATVS ATQVE  
COLLEGII IVRECONSVLTORVM ASSESSORE  
ORDINARIO

PROGRADV DOCTORIS

RITE CAPESSENDO

D. XXVI. OCTOBR. A. R. S. MDCCCLXXIII

H. L. Q. C.

EXAMINI PVBLICO, PROPONIT

AVCTOR

IOAN. CHRISTOPH. LAVTERVS

IVRIS VTRIVSQVE CANDIDATVS ET ADVOCATVS

WITTENBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII ACAD. A TYPIS.

